

Theses defendendae.

1.

Multi vident, pauci observant.

2.

Maximi pro medicina practica momenti est differentia pu
inter et materiam puriformem; attamen

3.

Certa, definita atque constantia discriminis inter pus et
materiam puriformem criteria hucdum desideramus.

4.

Hydrocardiam sanandi conamina hucdum irrita fuere omnia.

5.

Aetas infantilis maxima in variolas dispositio.

6.

Sententia de februm salubritate prudenter limitanda.

7.

Febris certorum potius morborum umbra, quam ipse mo
bus est.

8.

Morborum psychicorum cura praestantissimum medicinae,
cataractae operatio pulcherrimum chirurgiae opus.

9.

Pathologia ad lectum aegrorum doceatur.

10.

Sanissimus, qui non indiget morbis salutiferis.

Pulvis Ipecacuanhae opiatuſ, ſeu Pulvis
Doweri.

Connubium hoc Ipecacuanhae cum opio, ad normam pharmacopoeae aſtriacae eo modo paratur, ut pulveri radicis Ipecacuanhae aequales opii partes addantur, quae mixtio cum octo ſacchari partibus in pulverem ſubtiliſſimum teratur, ita ut in decem huius pulveris granis, unum opii granum contineatur. Aliis in pharmacopoeis non ſolum partium conſtituentium ratio, verum etiam hae ipſae vario modo mutantur; ſic pharmacopoea boruſſica ſacchari loco arcanum duplicatum admittit, cui Dowerus nitrum purum ſubſtituit, opii loco, nonnumquam hyoſciammo compositionem ingrediente.

Ob vim ſuam ſpasmus ſolventem, dolores lenientem, diaphoreſin moventem, creberrime adhibetur in omnibus affectionibus catarrhoſis, rheumaticis, arthriticis, ſive febrilibus, ſive chronicis indolis; ſummi pretii medicamentum conſtituit in tuffi, aſthmate, colica ſpaſticiſ, in cardialgia, dysenteria, haemorrhagiis tandem variorum organorum; recentiſſimo autem tempore, cholera epidemica graſſante non paucos mortis faucibus eripuit.

Exhibentur pulveres Doweri ad gr. 1—2—5 forma pulveris, pilularum, mixturae omni bi-vel trihorio porrecti.

Praeter vinum Ipecacuanhae et tincturam Ipecacuanhae, de quibus jam ſupra mentionem fecimus, ſequentia adhuc proſtant praeparata:

Syrupus Ipec., qui paratur infusum cum duplo sacchari incoquendo, qui cochleatim adhibitus, infantibus praecipue, tussi convulsiva vexatis conducit.

Tabulae Ipec. ex pulvere radice, saccharo et mucilagine gummi tragacanthae compositae, cujus singula granum dimidium Ipec. continet; infantibus vomitus ciendi causa, tempore matutino, ventriculo adhuc jejuno 2—3 exhibentur.